



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Vera sententia, fuisse in Christo intellectionem creatam, statuitur, &
multipliciter suadetur,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

Victorinus tomo 3. Tract. de sapientia animæ Christi, ubi quamvis initio illud duntaxat quæ-
re videatur, an scientia Christi æquet divinam, ta-
men eò tandem devenit, ut scientiam Christi crea-
tam abrogatam malit, & dicat eum qui præter
scientiam increatam, aliam ponit in anima Chri-
sti, cavere debere, ne nimis carnaliter potius sua
quàm vera pronuntiet.

§. I.

*Vera sententia, fuisse in Christo intellectiorem
creatam, statuitur, & multipliciter
suadetur.*

Dico igitur, certum de fide est, in Christo
fuisse scientiam seu intellectiorem creatam.

Probatur conclusio multipliciter. In primis
enim Christus plerisque actus humanæ intel-
lectionis infra referendos elicit, v. g. discursum,
& actus enuntiativos compositos, qui in Deum
non possunt cadere. Oravit etiam, meruit, & alia
multa fecit ut homo, quæ sine actu intellectus &
voluntatis creatæ fieri non poterant. Item Matth.
8. dicitur Christum fuisse miratum, & ad He-
bræos 5. didicisse ex his quæ passus est: admiratio
autem, cum ordinariè ex ignorantia procedat, non
potest Christo ut Deo convenire, addiscere etiam
Christo ratione divinitatis repugnat. Profectus
quoque in sapientia, qui Christo tribuitur Luca
2. quomodocumque explicetur, non potest vale-
re de sapientia divina, cuius in Christo nullus fuit
profectus.

Deinde frequentissimè Concilia & Patres in
confutatione Monothelitarum tradunt, pro du-
plici Christi natura, duplices in eo facultates &
operationes esse agnoscendas: cum ergo fides do-
ceat, Christum duplici intellectu fuisse prædi-
tum, divino scilicet & humano, duplicem quo-
que intellectiorem, divinam pimum & increa-
tam, ac humanam & creatam, in eo reperiri fa-
tendum est.

Tandem certum est de fide, fuisse in Christo vo-
litionem creatam: ita enim definitum est contra
Monothelitas, & ex eo probari potest, quod ab-
que volitione creatâ Christus nihil meruisset: At-
qui volitio creatâ, connaturaliter supponit intel-
lectionem ejusdem prorsus naturæ ei prælucen-
tem: Ergo hæreticum videtur asserere, nullam fuisse
in Christo creatam notitiam.

Potest insuper suaderi conclusio ratione D.
Thomæ hic art. 1. Congruum enim est, ut Ver-
bum humanam naturam assumens, assumeret il-
lam perfectam: Sed humanitas sine intellectiione
creata foret imperfecta: Ergo Verbum assumpsit
humanitatem, non solum cum intellectu, sed
etiam cum intellectiione creatâ. Major paret, Mi-
norem verò, in qua est difficultas, probat S. Do-
ctor tripliciter. Primò, quia omne quod est in po-
tentia, imperfectum est, si non reducat ad ac-
tum: Sed natura humana est in potentia ad intel-
lectionem creatam: Ergo imperfecta foret sine il-
la. Secundò, Potentia suo fine frustrata, imperfe-
cta est: Sed intellectus Christi est propter intel-
lectionem creatam ut finem, omnis enim potentia
est propter suam operationem: Ergo sine illa foret
imperfectus. Tertiò, Aliqua cognitio est na-
turalis humanitati, scilicet illa quæ cognoscimus
prima principia: Sed sine naturali perfectione,
non foret perfecta humanitas: Ergo imperfecta
esset sine omni cognitione creatâ. Ubi obiter ad-
vertendum est, hanc tertiam probationem, non

de cognitione actuali, sed de habituali procedere;
nulla enim actualis cognitio, naturalis est huma-
nitati per modum proprietatis.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra præcedentem conclu-
sionem: Non potest simul quis intelligere
aliquid intellectuione increatâ & creatâ: At Chri-
stus omnia cognovit intellectuione increatâ: Ergo
non fuit in ipso scientia seu intellectio creatâ. Mi-
nor est certa, Christus enim erat Deus: Deus au-
tem omnia cognoscit intellectuione increatâ. Ma-
jor verò suadetur primò, quia non potest quis si-
mul subsistere subsistentiâ increatâ & creatâ, ut
supra ostensum est: Ergo similiter nequit simul
intelligere aliquid intellectuione increatâ & crea-
tâ. Secundò, Intellectio creatâ comparatur ad
increatam, sicut lux minor ad majorem: Sed lux
minor est impossibilis cum majori, quia ma-
jus lumen offuscat minus, ut constat experientiâ:
Ergo non potest simul esse in eodem supposito co-
gnitio increatâ & creatâ de eodem objecto.

Respondeo Majorem esse veram de supposito
operante per unum & eundem intellectum, quod
non contingit in casu nostro, Christus enim per
intellectum divinum, & ut Deus, intelligebat co-
gnitione increatâ; per intellectum verò creatum,
& ut homo, intelligebat cognitione creatâ: non
implicat autem idem suppositum, secundum di-
versum intellectum, cognoscere simul idem ob-
jectum cognitione increatâ & creatâ. Neque valet
instantia de subsistentia, nam ideò in Christo da-
tur una subsistentia, quia ipse est unum supposi-
tum, & ratio constitutiva suppositi est ipsa sub-
sistentia: At licet sit unum suppositum, habet ta-
men duas naturas, humanam scilicet & divinam,
subindeque duos intellectus, & ideò per intel-
lectum increatum potest intellectuione increatâ in-
telligere, per creatum verò, intellectuione creatâ.

Ad id quod subditur de majori & minori lumi-
ne, dicendum est, quod licet in rebus corporeis lux
major interdum obscuret minorem, non tamen
in spiritualibus, quia unius veritatis cognitio,
quæ lux spiritualis est, aliam non excludit, sed
potius perficit & juvat. Unde S. Doctor hic art.
1. ad 2. *Lumen scientia creatâ non offuscat, sed
magis clarescit in anima Christi, per lumen scien-
tia divina, quæ est lux vera illuminans omnem ho-
minem venientem in hunc mundum, ut dicitur
Joan. 1.*

Objicies secundò: Nullum inconveniens est
quod potentia aliqua in Christo non conjungatur
cum operatione ad quam ordinatur ut ad finem:
Ergo nec quod intellectus Christi creatâ intel-
lectione semper caruerit. Consequentia patet, An-
tecedens probatur. Potentia generativa ad actum
generationis ut ad finem ordinatur, & tamen in
Christo nunquam fuit ad istum actum reducta:
Ergo nullum inconveniens est, quod potentia ali-
qua Christi careat actu sibi proprio ad quem ut ad
finem ordinatur, subindeque ratio D. Thomæ
non est efficax.

Respondeo Antecedens esse verum, si exerci-
tium talis potentia fini redemptionis non con-
gruat, secus verò si conducat ad finem redem-
ptionis: unde quia actuale exercitium intellectus
creati animæ Christi, conducebat ad finem redem-
ptionis, non verò exercitium potentia generati-
væ Christi, imò potius fini redemptionis & mu-

DD d iij